

1613

mittit. Ea re mirum in modum incitatus Allobrogum Dux, pollicita Cardinalem non præstisſe, datam fidem fefellisse, acriter conqueritur. Cumque neque puellam recipere, neque aliquam, uti petebat, Montisferrati partem obtinere posset, alia sibi via incedendum statuit. Kalendis maji improviso Albam, Trinum ac Montem Calvum, Montisferrati oppida, tormento bellico (quod *petardum* vocant) aggreditur, impensis, atque nihil ejusmodi oppinantibus incolis, potiri se iis posse ratus. Sed cum irrito eventu res cessisset, statim duorum millium peditum copiis, quas secum ductaverat, oppida adortus, Trinum ac Montem Calvum nullo negotio occupat.

Hoc Allobrogi facto Itali omnes Principes, ac præcipue Veneti, vehementer commoti sunt: *Pacem, qua per tot annos Italia floruerat, abruptam: tranquillitatem publicam, pro qua servanda adeo solentes excubuerant, interturbatam: ex his initiiis ingentia christiana reipublicæ mala portendi.* Itaque, ut tot incommodis prospiceretur, nihil omittendum rati, Pontifici, quæ acciderant, per Thomam Contarenum, legatum, significant; hortantur, flagitant: *initiis obstat, ne latius serpere virus sinat, ne suo in pontificatu Italiam bello conflagrare permittat: exteris gentes Italicæ felicitatis invidit ad eam, uti tutissimam ac prædivitem prædam, diripiendam confluxuras: Ecclesiæ hostium atque hereticorum colluvione provinciam istam exundaturam: summa ejus auctoritate ad tot pericula cladesque avertendas opus esse; qua ut quamprimum uti velit, Senatum petere, obsecrare: eo nil vel christiana reipublicæ utilius, vel ad suam in omnem posteritatem propagandam memoriam illustrius accidere posse.* Eodem officii genere cum Cæsare, Galliæ ac Hispaniæ Regibus utuntur: *Cæsar is præsertim dignitatis interesse, pacem in Italia retinere; ne, ea turbata, christiana universa respublica in summum discrimen adducatur; atque arma, quæ in Turcas, communes christiani nominis hostes, vertenda forent, in nostra viscera adigantur: Mantuanum Principem iis ditionibus exutum, quas illius beneficio obtineat: neque quidquam adversus eum committi posse, quin noxa ad Cæsar is majestatem attineat.* Hispaniarum quoque Regi commemorant: *Semper illum majorum suorum, Caroli quinti imperato-*

*Sabaudie
Dux Mon-
tisferrati
ditiones in-
vadit.*

*Venerorum
pro pace of-
ficia.*